# Quaestio Medica

## Quodlibetarijs Disputationibus Excutienda In Scholis Medicorum die Martis 30ª Decemb. D. Petro Paulmier Do. Med. Moderatore prudentiss.

### An à capitis trωmate oppositae Partis Convulsio lethalis?

TRΩMA est continui divortium capitis artuumve ab externo jactu, ictu, casu violento inductum. Cranium, suppurationis capax, pro sui specie, tali, totius discrimine varie deformatur. Ρωγμὴ ~~[illegible]~~ rima est divisio angusta longior et brevior tali charactere exporrecta; quae τριχισμὸς si exilior, et oculorum aciem eludat. Φλάσις solutio multiiuga osseae substantiae in se ipsam compressae, in qua minimae particulae elisae, absque inflexione ad interiora. Εσφλασις contusio in quâ ossium frustula recelluntur in membranas, quas urgent. Cuius species sunt ἐγγίσωμα si ~~[illegible]~~ pars contusa attigua calvae subeat, tangatque confinium promineat instar suggrundae, et καμάρωσις si inter ~~[illegible]~~ partem contusam et iam confinium spatium relinquatur. Εδρη teli vestigium est ossi insculptum; ἐκκοπὴ nuncupatur si simplex; διακοπὴ ~~[illegible]~~ si pars ab alia multum diducatur; ἀποσκεπαρνισμὸς, si eadem penitus decussa. Ἀπήχημα denique est partis divisio percusso lateri quovis modo opposita.

.TRΩMA sensuum et rationis opera exploratur. Specillum in plagam demissum quid in osse asperi offendens praeter suturae fraudulentiam: os atro liquore delibutum nigritiem servans pertinaciter, quae nec sedulo ~~[illegible]~~ detersa nec scalpro obliteratur: Capilli à telo praesecti, inque vulnus compulsi viam in occulti trωmatis cognitionem deducunt: velut cohibito et validius intus compresso spiritu cruor per os divisum exsudant, sanguisque admotâ salivâ ebulliunt. Accidentium accurata contemplatio trωmatis non minorem fidem facit. Invadunt ab initio vertigo, κάρος inexpugnabilis, caligant oculi, corruit aeger attonitus. His sunt finitima iugis dolor (animae tristis actio) bilis vomitus, sanguinis fluxus, ἀφωνία, syncope. Repetitis imprimis ictus modo et teli figura.

TRΩMA paucis stipatum affectibus spem praebet faelicis curationis. Perficitur ferro, medicamentis, non vinculis. Quamprimum excinditur os terebra, ampliusve hiulcabitur donec radulis quo cruenta illuvie meningibus incumbant sanies exhauriatur. Terebra ossi imbecillo, suturis, temporibus periculose admovetur: dissecto [illegible] musculo protinus alter antagonista convellitur. Nullum capitis ulcus humectandum, nec vino quidem. At expurgandum, et quovis alio validiore exsiccandum pulveribus cephalicis ex irido, thure, aristolochia, aloe, myrrha: quibus os occalescit, caro florido colore vestitur, cicatrix procuratur. Multum conferunt purgatio, phlebotomia, cibus exiguus, hyems frigidior, pluresque similia.

At vero convulsionis, paralyseos, saeviorumque symptomatum occursu spei salutiferae renunciandum: velut si ulcus offendatur ὤχρον, pauca sanie δακρυῶδες, cuius sit pars aridior, γλισχρώδης, πελιδνὴ, ἐρυθρόν, fulva, tandem sublivida: si os sphacelo corripiatur, nigrescat, posterius exalbescat: si ossi ~~[illegible]~~ purulento φλυκταῖναι in lingua prosiliant. Convulsio partis trωmati oppositae concitatur ab acri vapore, mordaci, virulentaque sanie revocato à parte trωmatis in sanam oppositam, quae quia lacessitur, appulsum venenum fugere, et illatam noxam irrequieto motu conatur discutere: pars autem vulnerata adeo affecta est, ut cum nequeat ad viris expugnationem erigi, oborta paralysi resolvatur.

His sic sancientibus omnimoda naturae prostratio indicatur ab ipsius convulsionis trωmati oppositae magnitudine, cacoëthea, et partis affectae dignitate. Convulsio acuta est et maligna vel quae non modò à cerebri calvaeque purulenta substantia suam ducat originem; verum ab eadem funesto sphacelo obsitâ [illegible] fomatur viresque acquirit eundo, quo usque in capitale processerit exitium. Sphacelus partem trωmatis primus invadit, illius insito calore praefocato et extincto ad humorum qui illuc confluunt copiâ et internecinâ qualitate: Mox sui contagio vicinas ita effraenate inficit, ut nullum huius pestis exterminae appareat suffugium. Convulsionem comitatur acerrimum incendium, quo medullitus humidum primigenium absorbetur, anhelitus fatigati, lipothymiae frequentes, sudores frigidi; tandemque potissimum cerebro nobili laeso, facultates omnes funditus prosternuntur.



Ergo à Capitis trωmate oppositae Partis Convulsio lethalis.

Propugnabat Martinus Akakia Lutetianus. 1597.

Domini Doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| m. Petrus Sequyn Prof. Reg. | m. Antonius De Cappe med. Reg. | m. Joannes Martin med. Reg. |
| m. Petrus Pijart. | m. Joannes Brouet. | m. Claudius Bazin. |
| m. Nicolaus Jabot. | m. Simon Pietre Prof. Reg. | m. Henricus Blacuod. |